



2b. 15



AMPLISSIMÆ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ

30.6.

32

DECANI  
SAMUELEIS

SCARLACHI  
Philosophiæ & Medicinæ D. Physices Pro-  
fessoris P.

AD  
PHILOSOPHIÆ CANDIDATOS  
*artiumq; humaniorum Studio-*  
*fos*

PROGRAMMA  
*Publicè propositum.*

In Academia Francofur-  
tana.

IV. NON. FEBRUARI

ANNO

MDCCXXIII.

---

Ex officina.

FRIDERICI HARTMANNI  
Typographi.

## PROGRAMMA.

**A**D studium Philosophiæ adollescentes qui invitant, homines ad humanitatem, errantes in viam rectę rationis reducunt. Idque ita esse liquidò constabit, si comparationem inter aliarum facultatum cultores eos, qui Philosophicis fundamentis instructi ad facultates superiores accedunt, & qui iisdem destituti, *figulinam de dolio discere maluerunt*, instituamus, & consideremus *quid distent æra lupinis*. Neq; enim exiguum discrimen deprehendemus; adeoque verum propemodùm esse fatebimur, quod Avenrhoes in præfatione Physicorum ait: Esse hominis secundum ejus perfectionem fieri per Philosophiam, ut quò magis hac mentem perfecerit homo, eò hominis nomine sit dignior: quo autem longiùs ab ea se motus fuerit, eò quoq; longiùs se fateri necessum habeat à natura hominis abiisse; Sed quia aliàs hoc argumentum prolixè tractavimus, deniq; *Camarinam non movebimus*: Verùm odioso labori supersedentes illud tantùm nunc videbimus: cùm Philosophiæ tanta sit dignitas, qui fiat ut tam pauci hodiè reperiantur ejus cultores; pauciores qui honores Philosophicos petant? Diogenes (referente Laertio) cùm seriò aliquando loqueretur, nemoque attenderet, ad sonum Musicum se convertit. Concurrentibus autem plurimis, exprobravit: quod ad inepta studiosè concurrerent: ad ea verò quæ gravia essent, & utilia negligentius convenirent. De fodiendo etiam & calcitrando (addebat) certare homines; ut autem boni & probi fierent, curare neminem. Idem ferè hodiè accidit sapientiæ studium in scholis regiis profitentibus: ubi adollescentes pleriq; omnes quid-

vis

vis potius audiunt, discuntque; quam unde & prudentes & meliores evadant: quosq; propterea non immerito Aristippus Penelopes, ajebat, procis esse simillimos: qui etiam & Melantho, & Polydoram ancillas & quidvis potius habere, quam DOMINÆ ipsius nuptias sperare potuerāt. Sanè dubium non est, quin summa horum temporum difficultas accusanda sit: qua fit ut optima quæq; ingenia, *quorum virtutibus obstat Res angusta domi*, diu in Academijs commorari, sumptusq; necessarios in hæc studia impendere nequeant; sed *τὰ πρῶτα τὰ ἀλλοτρία* maturè eligere cogantur. Fortunatorum verò liberi pleriq; ab his studiis alieniores sunt, præsertim *si quis magistrum cœperit ad eam rem improbum,*

*Cui Musæ mula, nostraq; fama famæ.*

Difficultatem hanc superioribus hisce proximis tribus quatuorve annis non parùm auxit confusio monetaria, quam nobis nec opinantibus, nullaq; urgente necessitate, peperit partim supina negligentia, partim extrema malitia quorundam hominum. Quam tamen ad ἀκμὴν jam pervenisse, & in decremento versari iterum, breviq; planè interiturum esse infelicem hunc Machiavelli partum, planè ominamur & optamus. Poterit certè inter alia magistratum ad pestem hanc, totiusq; ferè Germaniæ communem Erinnyem maturè extirpandam non parùm commovere gravissima sententia M. Aurelij Cassiodori lib. 7. cap. 32. de moneta, ubi ita scribit: *Omnis quidem utilitas publica fidei debet actione compleri: quia totum vitiosum geritur, ubi conscientia puritas non habetur: tamen omninò moneta debet integritas queri, ubi & vultus noster exprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, si in nostrâ præcetur effigie? & quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet. Additur, quod venalitas cuncta dissolvitur, si victualia metalla vitiantur: quando necessum*

*est respui, quod in mercimoniis corruptum videtur offerri. Quis ergo  
patiatur unius esse commodum dispendia scelestae cunctorum: ut  
detestabile vitium venire possit ad pretium? Sit mundum, quod ad  
formam nostrae Serenitatis adducitur: claritas regia nil admittit  
infectum. Nam si vultus cujuslibet sincero colore depingitur, multò  
justius metallorum puritate principalis gratia custoditur. &c.*  
Etsi verò hæc quam dixi, neglectorum studiorum & præmio-  
rum Philosophicorum causa fortè non minima est: non  
possumus tamen etiam non summoperè improbare, quod  
ad honores & dignitates superiores aditus hodiè patet etiam  
ijs, qui in humanioribus literis, studiisque Philosophicis pro-  
gressus sæpe satis exiguos, & tantùm non planè nullos fece-  
runt: adeoq; illi ipsi, qui adolescentibus ad hæc studia non  
obiter tractanda, autores & suasores esse debebant maximi,  
dissuasores primè existunt, suosq; auditores ex amœnissimo  
bonarum literarum, linguarumq; vado, statim in vastum  
facultatum cæterarum Oceanum abducunt, quasi verò one-  
ri ipsis & impedimento potius quàm honori & emolumen-  
to futuri sint majores in his studiis profectus. Taceo, quod  
multi sive per literas commendatitias, sive per primarias  
(quas vocant) preces (quod ultimum miserorum refugium  
est & asylum) sive per alias ambages & diverticula subi-  
tò emergere seseque publicis officiis ingerere malant,  
quàm viam rectam tenere, & ab imis subselliis ad  
altiora adscendere. Interim boni & eruditi viri, sed  
inopes ab amicis & ex istimatione, negliguntur, premun-  
turque; quiq; à puero in Academiis docti atq; educti magnos  
in hæc studia sumptus impenderunt, bonamq; spem conce-  
perant fore, ut eorum aliquando fructum perciperent. Ex  
his itaq; & similibus principiis maximas in Ecclesia & repub.  
confusiones & calamitates oriri necesse est; adeoq; brevi  
nisi Deus averruncet malum) linguarum & Philosophiæ stu-  
diis

diis neglectis, eorumq; cultoribus exclusis, veterem barbariam, tenebrasq; Cimmerias, quas tot clarissima nostri seculi lumina vix discussserant, iterum ingruere, ut jamdudum Sapientissimus regum Salomon prædixit, Prov. 26. v. 1. ubi monstri simile esse inquit, gravem aliquam calamitatem portendentis, si honor aliquis aut officium homini indigno committatur: perinde ut nix in æstate non modò frugibus incommoda futura esset, sed & mali ominis: Neq; minùs inde incommodi reipub. accedere, quàm ex pluvia in messe. In quem locum digna lectu sunt, quæ ex reformatæ religionis ministris quidam, Kartvrichtus Anglus, commentatus est; ubi ait: *Nimis (proh dolor) usitatum est in reipub. & Ecclesia ministris deligendis census aut amicitia rationem habere potiùs quàm pietatis & doctrina, illius præsertim cujus subsidio munus sibi demandatum obeant & exsequantur. Quo fit ut Deorum loco idola in tribunalibus & Cathedris collocentur. Longè alia Iethronis sententia fuit, qui vel decurionem admitti voluit neminem, nisi fortitudine, timore Dei, integritate, aliisq; ad reipub. administrationem idoneis virtutibus instructum Exod. 18. v. 21. Et paullo pòst: Est autem dictu difficilimum, quot & quanta mala ex stulta reipubl. & Ecclesia moderatione profluunt. Pii se abdunt, impij exsultant: moderatores ipsi deteriores & insipientiores redduntur; omnes cum videant aditum ad honores indignis & minimè meritis patere, studia virtutum & literarum remittunt & contemptui habent: deniq; Deus ipse in homunciones tam deformem majestatis suæ imaginem gerentes excandescens, plenas iræ suæ phialas in illos exonerat & c.*

Interim tamen omnibus seculis reperti viri cordati, qui posthabita splendida mundi miseria, studium sapientiæ elegerunt, idq; omnib. aliis rebus, regumq; thesauris præferendum censuerunt.

Lucretius certè initio l. 5. à v. 1. ad v. 49. cum pleraq; alia Divorum hominumq; inventa, heroum

A 3

etiam

etiam facta fortia, & præ cæteris Herculis tantoperè decantatos passim labores enumerasset, iis omnibus vitam hominum carere potuisse concludit; studio autem sapientiæ nequaquam carere potuisse: Versus ejus sunt elegantissimi.

*His etiam posset sine rebus vita manere,*

*Ut constat multas etiam nunc vivere gentes:*

*At benè non poterat puro sine pectore vivi &c.*

Hæc ille veri Dei, & futuræ immortalitatis ignarus Philosophus de sua Philosophia ita audacter affirmavit, quæ tamen præter imaginariam quandam animi tranquillitatem (quam Voluptatem vocabat Epicurus) nihil promittebat: Quid nos de sobria magis, & Christiana Philosophia, quæq; à S. Theologia numquam longè recedit, dicemus? Quod enim vivimus non cum vulgo tantùm reliquo, verùm etiam cum bobus & asinis commune accepimus: eoq; spectant artes cæteræ & scientiæ plerèq; aliæ omnes. Quod autem verè hominis vitam vivimus, illud proprium maximè nobis est, & aliunde petendum. Jam ad vitam benè beateq; degendam pauca sanè sufficere, neq; tanta Causidicorum aut Medicorum copia, quantã hodiè forum alit, opo esse certum est: Imo Plato contrà miseras civitates eas, in quibus Causidicorū Medicorumq; copia esset, ex eo arguebat, quòd simul etiam maximam injustitiã & intemperantiam ibidem dominari necesse sit, quarum illa Jurisconsultorum, hæc Medicorum nutritrix vulgò dici solet. Quis negabit, majores nostros, prudentissimos homines, felicissimos vixisse? qui *ex æquo & bono potius, quàm callido versutoq; jure rem judicari oportere*, M. Tullio (pro Cæcinna) *quiete verò & abstinentia multos magnos morbos curari*, Celso autoribus, in sua arte artificibus primis credebant. Posteaquam v. posteriores eorū, novitatis studio, peregrina loca, terrasq; alio sub sole jacentes adiere, & seipsum tamen numquã deserentes, (quod Socrates olim cuidam, quid ita sibi peregrinatio

natio



natio non profuisset, percontanti, respondit ) præ- Non n. te  
ter propria & vernacula vitia, aliorum insuper popu- deseruisti;  
lorum studia, & mores malos addidicere; eosq; in  
patriam reversi alios quoq; docuere: injustitia advocatos, in-  
temperantia medicos accersivit. Quorum bona arte & præ-  
ceptis aburentibus postea aliis atq; aliis, tandē eò res rediit,  
ut nullum fere oppidulum, nullus vicus sit, in quo non ra-  
bulæ plures, Medicastrum etiam & Paracelsistæ, & id genus im-  
postores alii latitent, civesq; argento emungant, Quos sanè  
servitutem servire, aut mendicando cibum querere oportet.  
si homines juxta Legem Dei & Philosophorum præce-  
pta sobriè magis, magisq; quiete inter se viverent, litiumq;  
incendiariis annua stipendia ultrò nō persolverent, gulæ ve-  
dediti morbos mortesq; suis sibi sumptibus accerserent.  
Quorsum hæc, inquis? ut ostendam, inquam, nullum stu-  
dium magis necessarium esse: quantumq; bona animi præ-  
stant corporis & fortunæ bonis: tantum hæc studia, quæ a-  
nimum excolunt (quod post Sanctum Dei verbum, Philo-  
sophiæ potissimum debemus) cæteris præferenda esse: ut  
quib; carere respub. nulla possit, siquidem populum Dei in  
Ecclesia rectè doceri, juventutem in scolis educari velimus.  
Hæc itaq; studia prima esse putemus, iisq; operam strenuam  
navantes præmia expectemus. Versamur hic in commu-  
ni exilio peregrinantes à Domino, ad siduisq; itineribus pa-  
triam

*petimus fugientem & querimus ultrò.*

Viam itaq; monstrat facemq; præeat divina sapientia, sive  
Verbū Dei, unica illa fidei Cynosura, confessionisq; regula:  
baculum sive comitem facundum, quiq; in via pro vehiculo  
sit, Philosophia: Medicina, Jurisprudencia, & si quæ artes &  
scientiæ aliæ ad vitam sustentandam, iterq; commodius cō-  
ficiendum, necessariae sunt, viaticum præbeant. Hac via qui  
in-

incedunt, tandem itinere ex voto confecto à vera patria non aberrabunt. Qui verò præpostero ordine & per ambages incedunt & tantùm circa *παιδεία* occupantur, iisq; ita adfixi sunt, ut rarò Deo vacuum diem integrum relinquunt; mammonæ etiam noctes vigilatas impendant: videant ne ad hanc vitam rebus necessariis affluentibus, ad alteram sumptibus destituantur, oleoq; deficiente, Lampadibusq; extinctis in æternis tenebris ævum transigere cogantur.

Agite igitur, Philosophiæ Candidati, erigite animos, arrigite aures. Diogenem ferunt aliquando in ipso meridie accensa face in medio hominum cætu, quærere sese, dixisse, HOMINES. Ego hodiè in cætu scolastico, sed absq; Lucerna, quæro Philosophiæ studiosos, raros admodum, quiq; eam partem, qua homines verè & sunt & dicuntur, animum, dico, pietate, bonis moribus, virtutibus & doctrina solida excoluerunt, & perfecerunt. Quales ubi invenero sive numero paucos sive plures (non enim numero sed dignitate certabimus) lætabor, eosq; mecum in Palladis arcem deducam, ibiq; Lauru Philosophica coronatos Deo & PATRIÆ sistam & consecrabo. Quod ut felici omine & eventu fiat, DEUM precor; nihil eorum omnium intermissurus, quæ & ad dignitatem Amplissimæ Facultatis Philosophicæ conservandam & humanitatem omnibus & singulis Philosophiæ veris cultoribus declarandam quoquo modo facere videbuntur.

Valete, P.P. in Academia Francofurtana 4. Non. Februar. Anno dno 1c cxxiii.



Ja 666

ULB Halle 3  
002 177 021



5b-700

Von 7

MC








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



FACULTATIS  
HICAE

ANNI

EELIS

M M M A

æ D, Physices Pro.  
P.

CANDIDATOS

um Studio-

M M M A

positum,

Francofur-

BRUARI

XXIII.

RTMANNI

hi.

30.6.

33